



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

§. 144. Legatorum Franciæ aliorumque adventus ad Synodum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

§. CXLIII.

Sessio V. Commissariorum nominatio.

Spicil. tom. 6. p. 274. & 312. In quinta Sessione die Mercurii vigesima quarta Aprilis habita, iterato ambo Competitores contumaciæ postulantur, & Concilii Promotor contra illos triginta septem proponit articulos, qui totam schismatis historiam complectebantur, sed tamen utrique Pontifici admodum injuriosi erant. Petit idem, ut quamvis in hisce articulis contenta aliunde notoria forent, nihilominus designarentur Commissarii, qui ad pleniorum factorum discussionem testes quoque ad examen vocarent. Procuratoris petitioni detulit Concilium, & Sessio sequens indicta est ad diem trigesimam Aprilis.

§. CXLIV.

Legatorum Franciæ, aliorumque ad Concilium adventus.

Eodem ferme tempore Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, & Legationis Gallicæ Princeps ad Synodum venit, unacum Collegis suis, excepto Petro Fresnelio Meldensium Episcopo, qui jam a principio Concilii præfens aderat.
Patriar-

Patriarcham Alexandrinum comitabantur Ægidius de Campis Constantiensis Episcopus, Guilielmus Borraterii, & Godofridus de Perusio, Doctores. Paucis ex post diebus Anglorum Legati adveniant, nimirum Robertus Alantus Saresberienfis Episcopus, Henricus Episcopus Menensis seu Sandavidis, Thomas Abbas Monasterii S. Mariæ Jarevallis (*) Thomas Benedictinorum Cantuariensium Prior, Comes Suffolciæ, alius quidam Eques cum duobus Doctoribus. Pisanam quoque urbem salutarunt plurimorum Principum Legati, atque inter ceteros Electorum Moguntini & Colonienfis, Ducis Brabantia, Guilielmi Hollandia Comitis, Jodoci Marchionis Brandenburgici & Moravia Archi-Cancellarii S. R. I. Oratores. Omnes isti solemnes in urbem ingressus celebrabant, ad sequentem Sessionem admissi.

Sæcul. XV.
A.C. 1409.

N 3

§. CXLV.

(*) *Theodoricus de Niem tom. 22. de Schism. p. 115. ex publicis tabulis horum oratorum seriem recensens ita profequitur Thomas Abbas Monasterii S. Mariæ Eboracensis; Richardus Abbas Monasterii B. Mariæ Jorevallis, igitur hunc secundum errore typi omissum fuisse conjicimus.*